D. Martino Heiningo
Proto-Diacono Ecclesiae Francosteinensi.
Salutem a Domino Jesu.

Vix dum Rheno feliciter transmisso domestica et dilecta patria redux in Palatinatum Ao 1578, contigeram limina, Frater in Christo dilectissime, quando animus memor dulcissimae illius conjunctionis nostrae, quae mihi tam longi itineris labores vel sola jucundos fecit, jam tum ad vos recurrere, et quo successu atque quibusque auspiciis incolumis ipse incolumes omnes domi amicos et cognatos (Dei beneficio) non modo reperérem, sed et singulari explerim gaudio, vobiscum communicare gestiebat. Intentus ergo scribendi occasionibus hactenus fui omnibus, ut amicorum satisfacere desideriis, quibus fortasse non parvam de itinere meo solicitudinem reliqueram: quorum etiam in precibus cumprimis, quod tam cito, vix nimirum duodecim dierum intercapedine clementissimum Dei Numen me meis restituit salvum et incolumem. Istam vero nactus satis tutam, jam de literarum argumento haere-bam dubius. Etsi enim haec tempora satis foecunda, maxime Theologis: scis tamen quanti intersit, quid cui scribas: non quod non omnia mihi de candore tuo pollicear, sed quia hoc seculum fere tergiversationibus gaudet, et vix ferre potest, ut in meliore etiam causa a multitudine dissentias. Itaque etsi Ecclesiae vestrae status, qui talis est, ut tu etiam multa in eo desideres, prolixam nobis de multis rebus conferendi materiam suppeditare potest: longe tamen maximam foecundis ingeniis exhibet nova illa UBIQUITATIS seu infelix machina, quae cum ex variis ac tetris haeresibus conflata sit, et meris nitatur contradictionibus, hodie tamen sub plausibili Majestatis titulo, non modo jam Ecclesiis obtruditur a suis architectis, sed avide, passim magnoque ardore in illas pertrahitur, ut recte quis dixerit.

Ubiquitatis nova machina.

Fervet opus, ferventque viae, juvenesque senesque;
Accingunt se omnes operi, et protrudere certant
Infaustam molem et sanem contingere gaudent.

Sed ne hoc quidem monstrum libenter attingo, quod, nisi ipsorum dederit precibus Dominus, ut verbo oris ejus conficiatur, priusquam vires acquirat, quid fiet de Ecclesiae doctrina sinceriore futurum? Et ubi tandem locus erit nobis, qui adorare illud recusamus? Verum enimvero dabit DEUS Meleagrum aliquem, qui aprum hunc Calydonium conficiat, et barbaricam vastitatem a vinea Domini avertat, nisi fortasse peccata hominum aliud mereantur. Laboratur factione Vulcania, et maximo quidem successu, ut ubique adoretur. Interim audimus multos tum Principes, tum Respublicas nolle subscribere. Norimbergenses mascule rem egerunt: idem de aliis nonnullis dicitur. Elector Palatinus palam nondum subscripsit: et videtur a monstrosa illa concordia, quae pugnantes inter se blasphemias cum Christo componit, abhorrere: nihilominus Ubiquitariis promiscue dat locum. D. Wirum Aulicum in Saxonia Concionatorem nuper a Jacobo Andrea ejectum, quod Ubiquitati adversaretur, restitutum esse [illegible] accepimus: quod quid sit rei nondum intelligimus. Forte de Apostolatu suo periclitabitur Jacobus, quod etiam nonnulli confirmarunt. At nos, qui Deum pro Eudokia sua omnia operari, inque suorum convertere salutem ex Apostolo discimus, parum quidem ista moramur, certo persuasi, esse ista [illegible] ultiones divinae et poenas ingratitudinis nostrae, corruptelam purioris doctrinae, haereses, bella, carceres, exilia, mille denique mortes, Deum tamen pro misericordia sua relicturum nobis semen, et daturum hospitia Ecclesiae ubi [illegible] in his tempestatibus. Sed enim longius a scopo digredior. Statueram per literas conferre tecum sententias de multis rebus, quas mihi intuitus vestrarum Ecclesiarum suggessit. Sed verebar, ne aliorsum tu acciperes, si non lacessitus fuero.

Ecclesiarum instauratio qualis fieri debeat.

Nobilis est quaestio de Ecclesiarum instauratione: Utrum omnino illae revocandae sint ad Apostolicam simplicitatem, ita ut nihil penitus, quod Apostoli factitarunt, omittere, quicquid ante succedens Apostolis Ecclesia ritibus primis adjecit, retinere fas sit. An vero veteres quosdam ritus, partim utiles et necessarios, partim vero etsi non sunt necessarii, tamen concordiae causa ex Papatu relinquere in Ecclesia liceat? Habet utraque sententia suos assertores, et non parum exercuit disputatio haec Ecclesias Anglicanas, cum superioribus annis puriorem doctrinam amplecteretur. Agitatur etiam hodie in Belgis, ubi auspiciis Illustrissimi Principis Auraicii Evangelii doctrina jam renascitur. Et nostra Ecclesia Dei beneficio primitivam illam non modo doctrinae puritatem, sed et rituum simplicitatem amplectitur: quo nomine male passim audimus καὶ συκοφαντούμεθα. Non placet multis, quod omnia populari lingua in sacris peragimus: quod pro

argu[illegible]

magnifice exstructis aris unam mensam habemus, in baptismo infantes non compella-
mus, aut sponsores ipsorum nomine respondere volumus, crucis obsignatione et exorcismo
nullo utimur, mulieribus baptizare non permittimus: quod in Coena Domini non numu-
lariis istis crustulis, sed verò pane, qui analogiam mysticam gestare possit, utimur,
et hunc panem frangimus, fractum distribuimus: quod calices aureos ad Coenam
necessariò non pertinere, et rubri vini usu Papisticam superstitionem confirmare
docemus: quod in templis idola, Christi et sanctorum imagines, organa, cereos, vestes
illas, Baalis sacerdotum in Papatu insignia, et alia sexcenta, non retinemus.
Omnia illa in quaestionem illam veniunt, quanquam non sunt unius generis.
Quod ad me attinet, etsi mihi nec simplices nostros ritus simpliciter defen-
dere, nec de vestris Ecclesiis, in quibus Caerimoniae multum dominantur, judicium
ferre, est propositum: dicam tamen quid sentiam. Doctrinam Apostolicam nu-
meris omnibus perfectissimam fuisse non dubito, cui nec detrahere, nec adjicere quic-
quam liceat. De ritibus autem paulò aliter statuo judicio. Primùm enim nascenti- De ritibus Ecclesi-
bus Ecclesiis, certum est, ne ipsos quidem Apostolos potuisse, quicquid expediret ju- asticis quid sentiam
dicarunt, statuere, proindeque pedetentim necessariò fuisse progressos, sicut osten- dicam
dit Diaconorum institutio: adeò ut multa etiam Judaica ad tempus tolerarint. Dein-
de cui dubium est, Apostolos summam temporum locorumque rationem in externis riti-
bus habuisse? ut ritum ubique primis fuisse conformitatem non sit probabile. Ita
que non statim, quod Apostoli fecerunt, quod ad ritus attinet, pro regulâ sequendum
existimo. Multa enim etiam quae ipsi observarunt, tandem ipsa necessitas abole-
vit, in quorum numero sunt ἀγάπαι illae comunes etc. Coeperunt ergo post ἀγάπαι Apostolorum
Apostolorum tempora quaedam primis illis adjici, quaedam detrahi, quaedam
immutari pro circumstantiarum ratione. Sed utinam sequens aetas hic modum
tenuisset ac non potius aemulari gentes, quarum religionem videbat esse splendidam,
quam Christianam puritatis rationem habere voluisset! Quid enim? Irrepserunt
paulatim Mosaicae et Paganicae Caeremoniae, quarum jugo, quod ferre Patres
nostri non poterant, Ecclesiam suam Christus liberavit, involverunt? magnâ
cum doctrinae Christianae obscuratione, et libertatis nostrae imminutione.
Hic ergo, quicquid à Judaeis, quicquid à Paganis in ritus Christianos trans-
latum, praeter Christi institutionem, et certum Apostolorum exemplum,
itemque ritus symbolicos semel ex Ecclesia Christianâ, in quam nullo un-
quam jure invehi potuerant, profligari oportere, nec iis manentibus
suam Ecclesias nativam pulchritudinem restitui posse existimarem.
Quae verò ad decorum et ordinem pertinent Caerimoniae, sunt quidem illae
Ecclesiarum libertati relictae: sed haud scio, an tales sint, quae vulgo
hodie hoc nomine circa Baptismi et Coenae administrationem observant
et defendunt, cum prima istorum institutio, quae simplicibus et paucis fuit

contenta

contenta ritibus, per illas partim obscuret, partim deformet, ut vix agnoscantur Christi sacramentis, si cum ἐκκλησίᾳ componas. De hac igitur materia velim Frater charissime, mihi familiariter respondeas, et in respondendo, ita attendas, ne doctrinam περὶ τῶν ἀδιαφόρων vim facias. Scio captivas esse Ecclesias vestras: itaque Tibi sic me Deus amet, laqueos non induo; sed de quibusdam tantum cogitandi ansam exhibeo, in quibus vestri homines putant totam Ecclesiarum reformationem consistere. Sed si tu ipse non omnia probas, neque etiam mutare potes, cogita beatos esse, qui propter justitiam. De nostris rebus scribere multa non possum. Totus Occidens in belli eventum intentus est, quod auspiciis Ordinum Belgicorum Princeps Auriacus contra Hispanos, cur, et qua ratione ingressus sit a d. 22 Junij, ex scripto ejusdem intelliges, quod Tibi mitto. Et hactenus quidem egregie successit. Religione firmata De qua nunc potissimum communibus armis contra Johannem Austriacum decertatur. Et habet inter caetera pacis formula, ut certenis familiis, ubi ubi sint, utrique liberum sit religionis suae exercitium. Calendis Augusti ceciderunt in conflictu quinque signa Hispanorum, ex nostris etiam non pauci desiderati sunt. Dicitur tamen Austriacus Hispanica calliditate trahere bellum, et praelium declinare, nostris contra urgentibus et hostem subinde lacessentibus. Tibi Heidelbergae exercitus nostri ordinem ac summam. Sed fortasse non minor est hostilis. Vos nobiscum communem causam precibus vestris juvate apud Dominum, in cujus manu victoria est posita. Messem habuimus satis laetam: et vineae uberiorem promittunt vindemiam si Deus volet. Dominus Jesus Te cum dulcissima Conjuge, cui ex me plurimam dices salutem, totaque familia incolumem diu praestet: et Ecclesiae suae faciat salutare organum. Servet etiam politiam aliquam in patria mea: det illi Principes et Praefectos pios et justos, qui et puriorem doctrinam intelligant, ament, juventque, bonos omnes suo patrocinio defendant. Pergat etiam vobis conservare doctrinam quam a Praeceptoribus bene meritis accepistis, puram a sordibus recentium haereticorum et praestigiis Ubiquitistarum, qui nunc Atheismo viam sternunt. Ista Vobis ... mo precor. Vale. Gersheimij ad Rhenum a d. 25 Aug. Anno Novissimi temporis CIƆ IƆ LXXVIII.